

Q. D. B. V.

395

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA 1712, 4. 20.
DE

PRIVILEGIIS DECIMARUM ECCLESIASTICARUM,

QUAM

SUB MODERAMINE SUMMI NOMOTHETÆ
IN ALMA LVDOVICIANA

EX DECRETO ET AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA
RITE CONSEQUENDI,

IN AUDITORIO SOLENNI
PUBLICÆ EXCELL. ACADEMIÆ PROCKERUM
VENTILATIONI SUBMITTIT.

JOH. JEREMIAS SCHENCK.

GIESSA-HASSUS

Add. XXII. Decemb. A. R. S. clo le cxxii.

GIESSÆ, Typis VIDUÆ B. JOH. REINH. VULPII, Acad. Typ.

**DEO
ET
ECCLESIAE
SACRUM ESTO.**



PRÆFATIO.

Circumspicienti mihi de Argumento præstanti, non minus quam utili publicè ventilando, ac Disputatio ni inaugurali substernendo, præce teris sese obtulit materia hāud ignobi lis *de DECIMIS*, quæ ut ubique ter riarum satis nota, ita non minus in scriptis publicis ventilationi Doctorum quoad quam plurima in illâ occurrentia momenta est exposita. Se legiverò hoc argumentum eò libentius, quo minus mi hiâ ratione studiorum ineorum, quæ primum Theologiæ dicata erant, postmodum vero ob rationes urgen tes, nec inconsultis illis, à quorum nutu post DEUM tota vitæ & studiorum meorum ratio penderet, juris prudentiæ applicata, alienum visum fuit; Siquidem Theologus h̄c habet, quod agat, nec minus JCtus. Non tamen mihi animus est, omnia ad hanc materiam spe ciantia momenta examinare, adeoque integrum de Decimis tractatum conscribere, id quod ab aliis præ fertim Canonistis factitatum; Et cum constet, quod in jure Canon. h̄c ipsa Materia non postremum, præ fertim ob emolumenntm, quod inde Ecclesia Roma-

A

no.

no - Catholica lucrata fuit , sibi vendicet locum , non tamen institutum meum est , omnia illa , quæ nōdō dictam Ecclesiam in specie concernunt , in eaque usum habent , h̄c discurtere , sed sequestratis illis , tanquam à statu Ecclesiarum Evangelicarum & scopo nostro alienis , *Privilegia tantum* , quibus decimæ Ecclesiasticæ munitæ sunt , sub incudem disquisitionis vocare .

Cum verò ordo secunda bonorum fructuum sit mater , præsertim in Disciplinis insigne eruditionis ad jumentum , ita totam hanc tractationem in XI. Capitula dispescui . Primum explanabit nomina : Secundum de jure , quo debeantur decimæ , ager . Tertium tradet privilegia , quæ circa personas conferentes , aëcipientes , & pendentes decimas ut & res , de quibus decimæ persolvuntur , occurront . Quartum ager de Privilegiis , quibus gaudent decimæ Ecclesiast . ratione forti . Quintum ratione processus . Sextum de Privilegiis decimæ Ecclesiast . quoad legata . Septimum de Privilegio non appellandi in causâ decimæ Eccles . Octavum Privilegium sister de non alienando . Nonum Privilegium hypothecæ . Decimum Privilegium immunitatis à collectis . Undecimum Privilegium ratione præscriptionis . DEUS annuat exceptis , eaque suâ gratiâ & ope secundet !

IN.J.



303. 125
I.N. J.

CAPUT I. DE NOMINIBUS

J. I.

Ecimas à numero *denario* vel *decem* suum sortitas esse nomen, vel ipsi tyrones nōrunt. Denotant autem decimæ vi notationis decimalm partem frugum aliarum vē terum, quæ illi, qui jus habet decimandi, penduntur. Quemadmodum autem in aliis contingit rebus, ut à notatione s̄æpiissimè devierūt, v. g. multi dicuntur Seniores, licet non sint Senes, sic etiam decimalrum appellatio translata fuit ad nonam, undecimam, duodecimam &c. partem vel etiam aliam quotam, quæ tamen semper pro decima fuit habita, ut

A. 2

C. iiii

C. in aliquibus §. fin. X. de Decim. Rebuff. tract. de Decim. qu. 13. n. 46. ff. Carpz. L. 1. Defin. 125. n. 15. Basileen. vol. 3. Disp. 6. th. 2. Moneta de Decim. c. 2 n. 4. & 5. plures DDres vid. in not. D. Stryck. ad Brunn. jus Ecclef. lib. 2. c. 6. ad §. 1. Cur autem DEO sapientissimo, qui decimas populo suo injungebat, & Sacerdotium iisdem maestabat, denarius placuerit numerus? posset euidem queri, & nonnullæ piaz rationes dari, sed ut exactam ejus rationem reddere queamus, tantum abest, quantum nobis rationem consiliorum divinorum indagare vel intropicere, haud integrum.

§. 2.

Numerum denarium ipsis gentibus in magno fuisse aestimio, vel quid magni denotasse, innuit vocabulum inde derivatum *Decumanus*, quod ipsis scriptoribus gentilibus usurpatum idem est ac magnus vel maximus, unde fluctus decumanus, porta decumana, i. e. præcipua vel maxima; Ex quo colligitur, quod gentes etiam sagaciores in hoc numero aliquid divinitatis latere crediderint. Quemadmodum ratio numerandi, ab unitate incipit, unitas vero ante se nullum aliud habet numerum, & in numero denario Ziphra vel nulla cum unitate combinata reddit, est hic numerus primus numerorum terminus, sic DEO, qui initium & finis omnium rerum, qui ante se nullum initium, est post se nullum finem habet, etiam illud, quod nobis primum & ultimum est, primitas & decimas intelligo, debetur. Hoc ipso testamur, ipsum esse Principium seu Datorem omnium eorum, quæ possidemus, bonorum,

¶ 3) 2

honorum, & finem, ad cuius gloriam omnia nostra bona atque coeptra collimare debent: Ipsum esse Pelagum, è quo omnia nostra bona fluunt, & in quem remeare debent, hoc ipsum primitias & decimas ex institutione divinâ ortas significâsse, piè cogitari potest, salvis aliorum Critizantum meditationibus, Conf. Thom. de Aquin. qu. 87. art. 1. vers. in quo conveniebant Gregor. de Valent. Tom. 3. Disp. 6. qu. 5. punct. 1. peculiarem meditationem tradit Augustin. in quadam sermone de Decimis, quam vide sis apud Dominum Joh. de Wernle Tr. *Bom Behend Recht.* L. I. C. 5. p. m. 26. Præterea hic numerus in pendendis decimis æquitati admodum congruus videtur; quandoquidem hoc parato non justo plus de bonis admittitur illis, qui decimas pendunt, nec justo minus confertur illis, qui de decimis sunt alendi.

§. 3.

Sumitur autem vox decimæ à D.D. tripliciter, (1.) pro ipsâ re, quæcunque loco decimæ partis fuerit data, (2.) pro jure eam accipiendi, (3.) pro territorio & distritu, ex quo decima accipiuntur. C. cum in tua 30. & tot. tit. X. de Decim. Befold. Thes. Pr. voc. Behend. Ex his autem arridet quam maximè & scopo nostro convenienter secunda acceptio, quâ decimæ denotant jus aliquod spirituale, vi notationis autem decimam partem frugum, aliarumvè rerum quoquo modo licite quæ sitarum, DEO ejusque Ministris jure debitam.

§. 4.

Ecclesiasticas hîc intelligimus decimas, non seculares

culares aut profanas; malumus illas vocare Ecclesiasticas, quam spirituales praeunte ipso Paulo Gentium Doctore i Cor. IX. v. II. Si nos vobis spiritualia seminavimus, num magnum est, se nos vestra carnalia metamus? ubi decimæ rebus carnalibus vel corporalibus ad sustentationem corporis necessariis accensendæ sunt. vid. Reusn. p. 4. dec. 2. n. 14.

S. 5.

Quod vocem privilegii, de quo h̄ic quam maximè sermo est, & in quo cardo rei vertitur, attinet, sciendum, privilegium in genere consideratum esse jus aliquod singulare contra rationem seu tenorem juris communis legitimè concessum L. 10. ff. de ll. l. 162. ff. de R. J. Enenq. de Privileg. l. 1. c. 11. n. 6. Hahn ad W. tit. de Constit. Prince. n. 2. h̄ic privilegium quasi privata quædam lex, eo quod privat legem generalem obligatione suâ primitus inditâ, seu quod idem: Privilegium est, quod privat legem generalem suâ generalitatē, dum seorsim quid ab eâ statuit. C. privilegia 3. dist. 3. Beatus D. Mollenb. Cent. I. div. 12. n. 2. & 3. Schneidew. ad §. 1. de Instit. de J. N. G. & C. n. 12. ad eoque formale privilegii consistit in jure singulari, sic ut omne privilegium inferat jus singulare, cum hâc tamen differentia, ut jus singulare & privilegium non mutuo secum reciprocenrur, vel quod idem. ut omne privilegium sit quidem jus singulare, non verò vice versa: Nec abs re quoque notam merebitur, non tantum privilegium dici, quod in favorem alicujus conceditur, sed etiam quod contra aliquem & in pœnam statuitur §. 6.

Instit

Tal sit de J. N. G. & Civ. in verb. quod aliquis ob meritum indulxit. vel si quam pœnam irrogavit. Hujus asserti exempla legimus passim in jure, v.g. l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. l. 40. pr. ff. de Cond. indeb. l. 16. §. fin. ff. de pœn. ad cuius illustrationem apprimè quoque faciunt privilegia à Pompejo in Milonem, à Clodio in Ciceronem lata, dum ait hic in Orat. pro domo suâ: quod Clo-dius in se non legem sed nefarium tulerit privilegium, quo ipse aquâ & igni interdictum. Conf. quoque Bachov. ad §. 6. l. de J. N. G. & C. Hinc quoque privilegium differt à beneficio, hoc semper est favorabile. v. g. stipendum aliquod Clementi Principis concessum venit nomine beneficij, non vero dici potest privilegium, quod quandoque est odiosum, uti ex modò dictis, & loc. alleg. videre est; Prout autem stant termini pro significatu famosiori, ita quoque nec mihi vitio versum iri confido, si præsertim usu moder-no vocem privilegii non nisi in bonam partem accep-tim pro favore & prærogativâ aliquâ, quæ denotet vel jus concedens vel jus concessum.

§. 6.

Famosam privilegii divisionem vel paucis saltem attingere libet in personale quod personæ concessum, cui tanquam subiecto immediatè inhæret, cumque eadem extinguitur l. 14. & 16. ff. de LL. l. 13. ff. Sol. maritim. l. 68. & 196. ff. de R. l. nec non conceditur quandoque certo cuidam individuo, Petro, Paulo, vel certo per-sonarum generi, v.g. militibus, Pauperibus Minoribus, fœminis. &c. quandoque personis Myſticis v.g.

Ecclesiæ

Ecclesia, Civitati, Collegio, Universitati, & Reale,
 quod rei vel causæ conceitum, cumque eadem imme-
 diatè cohæret, ac cum illâ ad quovis heredes, & ad
 quem res seu causa, cui inhæret, pervenit, transit. d.
 l. 68. & 196. ff. de R. f. l. i. §. 43. ff. de aquâ quotid. & æ-
 stiv. ad quam itaque Classem hæc nostra privilegia deci-
 mis ecclesiasticis competentia commodius referri que-
 antur in progressu dabitur.

CAPUT II.

DE JURE QUO DEBEANTUR DECIMÆ.

§. 1.

A Ntequam ad specialem privilegiorum, quibus
 gaudent decimæ, considerationem progrediar,
 operæ erit pretium, inquirere, quo jure decimæ
 nitantur? Ubi sanè satis ardua quæstio à Doctoribus
 hinc inde agitata seſe offert: Cujus scilicet juris sint deci-
 mæ? vel quo jure debeantur? Divino? an humano?
 naturali? an positivo? Ad solidam hujus quæſtionis de-
 cisionem non parum faciet status controversiæ ritè for-
 mandus, ut id nequæſperor sciatur.

§. 2.

Non est r. in quæſtione, an Decimæ in V. T. à Deo
 ter Optimo Maximo sint instituta, singularique jure
 Sacerdotibus ac Levitis concessæ? Diserte enim DEUS
 præcepit,

§ (9) 25

præcepit, illiusque nomine Moses: *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre Domino de filiis tuis primogenitis; de boibus quoque & ovibus similiter facies, immo de omnibus fructibus, quos tibi terra producit.* *Lev. XXX. v. 30. & 32. Num. XVIII. per tot: Deuteronom. XIV. v. 22. Matth. III. v. 8. ff.* Hinc sequitur, decimas in Veteri Testamento fuisse juris divini positivi, si non perpetui, tamen temporarii.

Non est 2. quæstio, an non sit juris Nat. personis Ecclæsiasticis curam animarum sustinentibus, proque salute illarum noctu diuque laborantibus tantum pro labore, quanto ad sustentationem sui suorumque opus habent, suppeditare? Hoc enim omni tempore & jus Nat. jubet, & recta ratio dictitat, eoque spectat monitum gentium Doctoris jure naturali & divino nixum: *Trituranti bovi non obligabis os, ex Deuteronom. XXV. v. 4.* Si nos vobis spiritualia seminavimus, num magnum est, si nos vestra corporalia metamus? *1 Cor. IX. v. II.* ubi simul v. 14. ad præceptum ipsius Salvatoris provocat, dicens: *Sic & Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant;* quando enim allegabat Discipulos suos, ad prædicandum Evangelium, vietum ab illis, quibus Evangelium prædicarent, petere debebant, eo quod *dignus esset operarius mercede suâ.* *Matth. X. v. 10.*

§. 4

Non est 3. quæstio, an Ordinatio numeri denarii in persolvendis decimis aliqualem congruentiam cum

B

jure

jure Nat. & rectâ ratione habeat ? pari fermè modô ,
 quo dies septimus in Orbe hebdomadario indefinitè ta-
 lis cultui sacro publico destinatus non quidem directè
 est juris Nat. ita ut ordinatio alius diei , vel sexti vel o-
 ctavi sanctificandi sit contra jus Nat. attamen valdè con-
 gruum est naturæ & rectæ rationi , hunc diem cultui pub-
 licò esse consecratum , ne justo plus temporis aliis labo-
 ribus , nec justo minus cultui sacro impendatur ; Sic
 etiam numerus denarius neque justo plus de bonis
 adimit illis , qui persolvunt decimas , neque justo mi-
 nus tribuit illis , qui easdem accipiunt . Est igitur dena-
 riis hic quasi mensura ejus , quod ratio judicat rectum
 & æquum , id quod aliqualem congruentiam cum rectâ
 ratione satis arguit ; ex quo fundamento etiam apud
 ipsos gentiles non unos constitutionem decimarum flu-
 xisse crediderim . Arabes DEO , quem Sabin voca-
 runt , thuris piperisque decimas obtulerunt : Römani
 Herculi decimas solverunt : Viatores de spoliis hostium
 vel Jovi vel Apollini vel Diana decimas consecravint :
 Anglo-Saxones decimas DEO cvidam Ignoto devo-
 verunt , quibus accensenda sunt exempla eorum ; qui
 ante legem Mosaicam decimas DEO obtulerunt , quod
 tamen ex instinctu etiam divino factum esse non nega-
 mus : Abraham Princeps & amicus DEI ab Orientali-
 lum Regum cæde victor tediens ex prædâ hostibus ere-
 ptâ Melchisedecosacerdoti DEI Altissimi & typo Chri-
 sti Agnus insigni decimas obtulit . Gen . XIV . v . 20 . Ja-
 cob à furore Esau fratri in Mesopotamiam fugiens de-
 cimas vovebat DEO de omnibus , quæ illis acquireret ,
 si

Si in columis redux foret. *Gen. XXVIII. v. 12.* Præterea non saltem DEO vero à veris DEI Cultoribus, Diisque falsis à Paganis, sed etiam Regibus decimæ de gregibus armentorum, proventibusque terræ à Subditis datae fuere, & hanc persolutionem decimatum partem fuisse juris Regii, verba Prophetæ Samuelis satis luculentiter probant *1 Sam. VIII. v. 11. 15. & 17.* *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros accipiet, & seges vestras ac vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis, greges quoque vestros addecimabit;* Ex quibus omnibus satis apparet, cā in re præ aliis omnibus numeris denarium & DEO & populo DEI aliisque gentibus arrisile, idque non sine omni ratione, sed quod aliquid congrui juri & rectâ rationi in hoc numero quoad hanc quidem rem invenerint; Et si de tali congruentia, & non de aliquâ obli-gatione locutus fuisse Magnus Grotius *L. 1. de I. B. & P. C. 2. §. 4.* inquiens: *Sic lex vetus de Sabbatho & altera de decimis monstrant, Christianos obligari, ne minus septimâ temporis parte ad cultum divinum, nec minus fructuum decimâ in alimenta eorum qui in sacris rebus occupantur, aut similes pios usus, seponant,* nil haberemus, quod in ejus sententiâ desideraremus.

Quæstio itaque est, an ordinatio decimarm & quidem quoad decimam partem ita sit juris Nat. ut directè & luculenter è jure Nat. fluat, pateatque, ejusque immutatio cum jure Nat. & rectâ ratione pugnet, hoc est quod negamus, hâc unicâ (quâquam plures nobis suppetant)

suppetant) inducione: Cujus constitutio non evidenter è jure Nat. fluit & patet, nec ejusdem immutatio cum jure Nat. pugnat, illud non est juris Nat: Atqui ordinatio decimarum, quoad decimam præcisè partem neque evidenter è jure Nat. fluit & patet, nec ejusdem immutatio cum jure Nat. pugnat. Ergò ordinatio decimarum quoad decimam præcisè partem non est juris Nat. Veritas Majoris suâ luce radiat. Minor etiam firmo stat talo, ipsaque praxi confirmatur; Quam multæ enim sunt Ecclesiæ, quibus nullæ penduntur decimæ? quis nescit varietatem in persolutione eatundem, dum loco decimæ partis in multis locis undecima vel duodecima persolvitur? quis verò hæc cum jure naturæ pugnare dixerit?

Etsi verò hoc argumentum pro nostrâ sententia satis firmum & solidum judicemus, aliquot tamen dubia eidem obstat videntur. Et quidem 1. Decimæ in V. T. aut fuerunt juris Nat. aut positivi, atque sic vel legis Ceremonialis vel Forensis. Sed neque Ceremonialis, neque Forensis fuerunt, E. fuerunt juris Nat. idque corroboratur ex eo, quia in N. T. à Christo non fuerunt abolidæ; Unde novum prodit argumentum. Quicquid à Christo non est in N. T. abrogatum, sed potius confirmatum, illud non fuit juris Forensis aut Ceremonialis, sed juris Nat. Atque decimæ à Christo non fuerunt abrogatae, sed potius confirmatae. E. Veritas Minoris exinde patet, quia ne apex quidem legitur in N. T. quod decimas à Christo abrogatas esse probari possit; quin potius

§(13)25

potius talia in Evangelio extanr effata Salvatoris , quæ decimas in Ecclesia retinendas esse jubent; Sic cum a geret Salvator Matth. 23. v. 23. de decimis reddendis expresse dicebat : *Hac oportet facere , & illa non omittere*, porro Matth. XXXII. v. 21. inquietabat : *reddite Cesari, quæ sunt Cesari, & DEO, quæ sunt DEI*, quam vero igitur Salvator non abrogavit vestigal Magistratui Politico persolvendum , tam verè etiam non abrogavit decimas Ecclesiæ persolvendas. *R. 1.* Etsi àque controversum sit inter Dd. ad quod jus vel legem referenda sint decimæ ? Ceremoniale ? an Forensem ? non tamen sequitur: Quicquid neque ad legem Ceremoniale neque Forensem pertinuit , illud est juris Nat. Existimamust tamen , eas diverso respectu ad legem Forensem & Ceremoniale referri posse. *R. 2.* Non omne , quod in V. T. ad leges Mosaicas pertinuit , à Christo fuit abrogatum, præsertim id, quod in ipso jure Nat. fundatur, uti de multis legibus forensibus constat ; sic etiam decimæ *quoad formale* , quatenus sunt decimæ , vel decima pars, non sunt juris Nat. sunt tamen *quoad Materiale* , *quoad substantiam & fundamentum* , quatenus nihil aliud sunt, quam necessaria alimonia Ministris Ecclesiæ , pro labore debita *vid. Zigler ad Grot. L. 1. c. 1. §. ult.* Hoc sensu à Christo non sunt abolitæ , sed potius confirmatae & stabilitæ , id quod loca allegata probant.

§. 7.

Obst. 2. Decimas ante legem Mosaicam fuisse in usu E. sunt juris Nat. *re.* non sequitur. Etiam circumcisio & sacrificia ante legem fuere Mosaiçam, neque ta-

men illa sunt juris Nat. Reger. unde ergò Abraham habuit? unde Jacob? quod præcise decimas obtulerint, si non ex dictamine naturæ? ¶ 2. Non sequitur: Potuerunt id fecisse ex instinctu singulare divino, vel ex alia pia intentione. ¶ 2. Expressè in textu dicitur, quod Jacob voverit DEO decimas; si votit, & ex voto illas persolvit, tum non èx obligatione juris Nat; vota enim sunt libera vel fiunt libere.

§. 8.

Obstat 3. Apud alias etiam gentes decimæ fuerunt receptæ. E. non soli populo Judaico DEUS illas præscripsit & mandavit, sed & recta ratio aliis gentibus illas præscripsit & mandavit. ¶ 2. non sequitur: Quicquid aliæ gentes cum populo Judaico quodammodo habuerunt commune, illud non spectavit ad leges huic populo proprias; habebant & gentes sua sacrificia; Diabolus est simia DEI. ¶ 2. Etsi quædam gentes decimas pependerint, non ramen de omnibus id constat. ¶ 3. Argumentum hoc saltem probat aliqualem congruentiam constitutionis decimarum cum æquitate & rectâ ratione, quam congruentiam etiam aliæ gentes agnovere, si non illam ordinationem decimarum à populo DEI acceperunt.

§. 9.

Cujus ergò juris sunt decimæ? ¶ 2. in Vet. Test. erant juris divini positivi, & quidem temporarii, aliiquid de lege Ceremoniali, quatenus oblationes ex decimis DEO erant offerendæ, & aliiquid de forensi, quatenus per illas Levitis nullam præter DEUM habentibus

bus partem hereditariam in terra Canaan, sivebat compen-
satio, & necessaria sustentatio suppeditabatur, haben-
tes, unde si quis illas juris mixti dicere velit, non refragabimur: In Novo v. Testam. sunt juris humani, cui
tamen ob fundamentum singulare, id quod est susten-
tatio Ministerii, & ob privilegia, quibus ornatum est,
prærogativa præ decimis secularibus haud denegabitur.

§. 10.

Denique Obstet: In jure Canon: expressè dici
decimas constitutione divinâ deberi. C. tua 25. X. de
Decim: Item DEUM præcepisse sibi soli solvi deci-
mas in signum Dominii Universalis. C. tua nobis X. de
Decim. ¶. 1. Dicuntur divinæ ab institutione divinâ,
ut & aliae res V. T. à DEO institutæ, utpote circum-
cisio, Pascha &c. licet cessarint & abolita sint; ¶. 2. di-
cuntur divinæ per analogiam, quatenus Ecclesia Chri-
stiana hâc in parte quodammodo imitatur Ecclesiam V.
T. ¶. 3. dicuntur divinæ fundamentaliter, quatenus
denotant mercedem pro laboribus debitam, sive sint
decima, sive nona, sive undecima pars; & hoc sensu
eriam Christiani in N. T. ad illas persolvendas sunt ob-
ligati. ¶. 4. rectè dicitur DEUM præcepisse sibi sol-
vi decimas in recognitionem & signum universalis do-
minii; Quodsi vero Christiani loco decimarum omne
id, quod habent & possident, corpus & animam, alia-
que bona DEO consecrant, & ad gloriam ejus confe-
runt, eo ipso non saltem dominium DEI universale, sed
& in seipso dominium recognoscunt.

CAP.

CAPUT III.

DE PRIVILEGIIS, QUÆ circa Personas Conferentes, Accipientes & Pendentes decimas, ut & Res de quibus decimæ persolvuntur, occurrunt.

§. 1.

O Stenso decimarum jure , nunc ad personas & res , quæ vel aliquo privilegio gaudent , vel non gaudent , pedem promovemus.

§. 2.

Personæ sunt vel *Conferentes* , vel *accipientes* ,
vel *pendentes* ; De Personis conferentibus jus decimandi
quæritur : Cujus sit eiusmodi jus Ecclesiæ conferre ?
In Ecclesia Israeliticâ DEUS ipse hōc jus sacerdotio im-
pertivit , prout illud loca Scripturæ evidenter docent .
*Lev. XXVII. 30. Omnes decima terra de semine terra , de
fructu arboris Jehovah sunto. It. v. 32. Omnes decima bo-
vis & gregis , omne , quod transit sub baculo , decimum
inquam , erit sanctitas Jehovah Num. XVIII. v. 21. En-
dedi filii Levi omnes decimas in Israele in hereditatem
pro Ministerio , quo illi funguntur in tentorio testimonii.*
vide eā de re succinctè & cruditè differentem maximè
Rever.

Rèver, Dn. D. Majum, Præceptorem meum ante hâc fidelissimum in *Oeconom. V. Test. C. XXX. §. 7. pag. 572.* In Ecclesia Christianâ Pontifex Romanus hocjus sibi soli vendicat; Vendicat inquam sibi jus Ecclesiæ largiendi decimas; jus aliis imponendi onus decimarum: jus etiam in munitatem ab onere decimarum concedendi; In Ecclesiis verò Evangelicis hoc jus status Evangelici per transactionem Passaviensem anno 1552. & plenam religionis pacificationem in Comitiis Augustanis jussu Caroli V. Cæsarî à Ferdinando Rege Germanorum statibusque imperii initam, & à Maximil. II. Imperatore anno 1566. ac Instr. Pac. art. 5. §. jus Diæcesanum confirmatam obtinuerunt. *Rumelin in Diff. 8. ad A. B. C. IX. add. Reichs-Abschied zu Augspurg de anno 1555. §. dñv mit auch obberührte.*

§. 3.

Personæ fruentes decimis in Ecclesiâ Israeliticâ erant, Sacerdos summus, Sacerdotes inferiores, Levitæ & Pauperes *Deut. XXVI. v. 12.* In Ecclesiâ Christianâ sunt omnes Ministri, in Ecclesia scholisque DEO servientes, & pro salute animarum vigilantes, quibus etiam pauperes in Xenodochiis sustentandi accenserit possunt. Hoc pietatis officium DEUS adeo gratum acceptumque sibi habet, ut quicquid Ministris suis, piisque pauperibus datur, sibi ipsi datum censeat.

§. 4.

Personas decimas persolventes quod attinet, nemmo à præstatione ejus, quod ad conservationem Ecclesiæ & Ministerii Ecclesiastici pertinet, immunis est,

C

sive

sive sit nobilis, sive nonnobilis; et si non omnes peræque decimas persolvere teneantur, Et quemadmodum Nutritii Ecclesiæ tum verè Nutritii audiunt, quando Ecclesiæ vel decimis dorant, vel ubi tales possident, ius ejus tuentur, ita ex opposito nutrimentum Ecclesiæ necessarium subtrahunt, decimas jamdudum ei collatas in usum secularem præter urgentissimam necessitatem convertentes.

§. 5.

Personas excipiunt res, quibus decimæ quasi inherent, aut impositæ sunt. Communis est divisio decimalium in personales & prædiales, quibus nonnulli tertiam addunt speciem, nempe mixtas; ubi personales dicuntur istæ, quæ de rebus vel bello vel quæstu &c. acquisitis penduntur, quorsum referunt exemplum Abrahami decimaliam manubiarum partem Melchisedeco Regi Salem offerentis. Cen. XIV. v. 20. Hæ et si olim in usu fuerint in Ecclesia, juxta textum in C. Ecclesiastis 13. qu. 1. C. ad Apostolica C. novum X. de Decim: C. quicunque 16. qu. 7. C. significavit X. de Paroch. & Parochian: tandem tamen in desuetudinem abierunt, nisi quis ex piâ intentione de bonis suis legitimè acquisitis, quin & de Salario decimali velit pendere, id quod conscientiosum fecisse Brunnemannum gener ipsius Magnif. D. Stryck in not: ad illius jus Eccles: L. 2. c. 6. ad §. 2. verb. Semper credidi illam præcisè debitam. testatur, quæ res foret pñ facti, non juris obligantis.

§. 6.

Prædiales s. reales sunt, quæ de prædiis, mixtae, quæ

quæ de fructibus animalium percipiuntur. In Ecclesiâ Israeliticâ decima 1. ex frugibus terræ & fructibus arborum, 2. ex bobus & ovibus percipiebantur. Jus Canon. pariter de omnibus fructibus terræ decimas persolvere jubet per C. nuncios illis verb. & de omni fructu decimas persolvere Ecclesiasticâ districione compellas X. de decim: jubet quoque Pontifex Clemens III. ut de omnibus prædiorum fructibus decimæ persolvantur c. 21. & 22. X. de decim. c. 26. X. eodem tit. ubi dicitur ut de cunctis omnino proventibus decima reddantur, nec non de animalibus per c. 5. X. de decim :

§. 7.

Dividuntur hæ species moderno tempore inter decimas Majores & Minores: qui fructus terræ itidem alii sunt naturales alii industriales: Fructus quidam agri semel ferunt in anno, alii pluries & diversos: prædia nonnunquam immutantur, agri in hortos vel prata, & vice versa prata in agros convertuntur; in quibus singulis casibus, quod præstationem decimarum attinet, consuetudo cuiusvis loci est respicienda, ipso concedente jure Canon. in c. 8. C. Ad Apostolicæ 20. C. cum in aliquibus 32. §. ult. X. de Decim: ubi ita: quod in præstandis decimis non tam sanctiones Pontificum, quam Consuetudo attendi debeat; Item in Instr. Pac. art. 4. §. Reditus etiam: quoad decimas è bonis novalibus percipiendas expresse cautum est, ut illud sit juris, quod communne jus vel ejusque loci consuetudo & observantia constituunt, aut per pactiones voluntarias convenitum est. Siquidem consuetudo tantum valet, quantum

tum lex scripta §. 9. 7. de 7. N. G. & C. Reink. de Regim-
ser: & Eccl. l. 2. Cl. 2. c. 9. n. 27. quin & fortior est ac po-
tentior statuto, facitque hoc silere. Menoch: lib. 1. ar-
bitr. jud. quæst. cas. 71. n. 49. Rebuff. de Decim. quæst. 13.
num. 46.

§. 8.

Inter fructus terræ, & quidem nobiliores com-
putantur etiam metallæ, quorum decimas Jure Civ.
Cuncti, qui per privatorum loca Saxorum venam laborio-
sis effosionibus persequuntur, fisco, decimas etiam Domi-
no representent, juxta l. 3. c. de Metallar. & Metall: Ho-
die Domini Territorii alicubi ipsas metallifodinas ex ju-
re Regalium sibi vendicant, prout hoc vi A. B. C. IX.
defendit Struv. S. J. F. C. VI. th. 26. n. 3. videlicet plures
Ddres: ibidem alleg. Conf. Magnif. D. Mollenb. Dis-
sert. de Regali προσφοτεις Metallica jure. alibi earundem
falsum decimas seu Canonem Metallicum, Conf. Crus.
ad A. B. C. IX. & Sixtin. de Regal. L. 2. c. 16. n. 45. ff. My-
lieri ab Ehrenbach de Princip. & stat. Imp. C. 69. §. 2.

§. 9.

Quærunt etiam Ddres: An de hereditate mihi
reliictâ teneat ex solvere decimas. Et. Juxta c. 19. 22. 25.
X. h. videtur afferendum, quod decimæ tantum debeantur
de iis, quæ jure meo & vi actionis mihi competentis
acquiro; patet hinc eas de hereditate, ut potè quæ fa-
cto tertii mihi obvenie, & ad quam reliquendam testa-
torem vi actionis compellere non poteram, sed ut accipi-
ens memet tantum passivè habeam, non deberi; nec obstat.

c. 23.

c. 23. X. h. t. quod de omnibus debeantur. Restrictivè
enim id intelligendum.

§. 10.

Ultimo loco hic quæri posset: An etiam ex rebus
injustè acquisitis Ecclesia possit capere decimas? Re-
spondemus distingu. inter decimas personales &
prædiales. Decimas personales de rebus injustè
acquisitis, utpote furto, rapinâ, aliisvè malis
artibus non potest, potest autem prædiales de agris,
quorum in justus est possessor; Decimæ enim inhærent
prædio, ex quo, quicunque illud possederit, Ecclesia
de jure capit decimas.



CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS, QUIBUS gaudent decimæ Ecclesiæ: ratio- ne fori.

§. 1.

Decimarum jus excipit earundem forum, in quo
quid privilegii habeant? paucis ostendemus. Con-
stituitur forum vel ex jure communi, vel singula-
ri; qui ex illo oriuntur modi fortiendi forum, regula-
res vocantur; qui ex hoc, irregulares; Regulares fi-
unt vel ratione Contractus, vel domicilii, vel rei sitæ,
vel denique delicti. Irregulares, privilegiati, vel re-

C 3

spectu

spectu personarum litigantium tales sunt, vel respectu
 Causarum controveritarum. Quemadmodum igitur
 olim Romæ certis causis certa uere constituta fora, ita
 & hodiè adhuc fora dantur diversa; Gaudent proinde
 decimæ Ecclesiast. prærogativâ singulari præ seculatibus
 ratione fori, prout omnes Causæ Ecclesiast. ex dispositio-
 ne juris Canon: peculiare sibi vendicant forum per c. 3.
 & 13. X. de judic.

§. 2.

Diversa tamen est ratio fori decimis non minus ac
 aliis causis Ecclesiasticis competentis apud Rom: religio-
 ni addictos, quam Protestantes; Etenim quando vigo-
 re Pacificationis in Comit. August: de anno 1555. §. dicitur
 mit auch 20. promulgata, & in *Instrum. Pac. Osnabr.*
 denuo prolixè confirmata tota jurisdictione Ecclesiastica
 in terris statuum Protestantium ad hos ipsos devoluta
 & quasi jure postliminii omnino reversa sit. Conf. Rhet.
Institut. Jur. publ. L. 2. tit. 1. §. 17. ita quidem, ut illa in
 æternum validura pragmatica sanctio Evangelicis statu-
 bus jura quoad omnes actus sine limitatione & discrimine
 afferat in tantum, ut quicquid juris ante Reformationem
 Episcopis competit, id jam quilibet Dominus
 Territorialis intra suum territorium circa curam sacro-
 rum, religionis &c. vendicet sibi justissime, aferente
 Textore *in diss. de jure Episc. tb. 66.* ita quoque lites
 circa decimas in terris statuum protestantium oborta
 non aliud agnoscunt forum, quam quod quilibet Princeps &
 Dominus in suo territorio constituit, idque pro
 Causis Ecclesiasticis constitutum, Consistorium ex ju-
 dicibus

dicibus Ecclesiasticis & secularibus constantis appellatur.
 Conf. *Instrum. Pac.* art. 5. §. *jus diaconian.* vi cuius jus utriusque religionis Principum, in cuius possessione vel quasi exercitiū jurisdictionis Ecclesiasticae anno 1624. tam Catholicorum quoad redditus, census, decimas & pensiones in ditionibus Aug. Confess. statuum, quam Evangelici status in ditionibus Catholicorum quoad redditus &c. fuerunt, salvum esto.

§. 3.

In Ecclesiā verò Rom. terrisque illi addictis res se-
 cus sese habet; quando enim in omnibus illis terris su-
 prema potestas Ecclesiastica adhuc penes Pontificem
 stat Romanum, ita controversiæ litesque circa decimas
 obortæ præcipue ad forum Ecclesiasticum spectant. Di-
 stinguunt tamen inter lites jus decimarum, & illas rem
 facti vel fructus decimarum concernentes. Quando
 super jure controvertitur, & petitorio agitur v. g. si
 Prælatus dicit: Mihi jus competit decimandi, Laicus
 verò opponit: Tibi non competit decima vel jus deci-
 mandi, hoc in casu judicem Ecclesiast. duntaxat pro com-
 petente habent, eò quod spiritualitas, quam dicunt esse
 jus decimandi, sit causa prohibitiva cognitionis judicis
 secularis, cum illius sit incapax, ut in C. *Causam que. X.*
de Prescript. Si verò mero agitur possessorio, & super
 facto tantum litigatur v. g. Si Laicus dicit: se soluisse
 decimas, vel diem solutionis nondum advenisse &c.
 velsi de fructibus sit litigium, judicem quoque laicum
 pro competente habent, eò quod causa in tali casu non
 spiritua-

spiritualis, sed secularis sit. C. te quidem, caus. 2. quæst. 1.
Wesenb. p. 2. Respons. jur. consil. 56. per totum.

§. 4.

Spectant huc & aliæ quæstiones ac controversiae non tam in Ecclesiis Evangelicis, quam Romano-Catholicis ventilari solitæ: ut potè si de decimis litigatur inter duos laicos, quærunt, ad quem spectet cognitio? & respondent, de jure Canon. spectare ad forum Ecclesiasticum; excipiunt tamen certos Casus, quando nimis processus versatur inter merè Laicos, ubi litigia & appellations ad Cameram devolvi docet Myns: 5. obs: 10. absque ullâ differentiâ inter possessorium & petitoriū, ut Camera in uno æque judex esse possit ac in altero. Siquidem in decisionibus causarum jus Canon: quidem observeretur, modo non sit contra Constitutiones Imperiales, & causa possessorii & petitoriū coram eodem judice ventilanda sit per text. in l. nulli 10. C. de judit. Sic quoque in iis decimis, quæ jam effectæ sunt juris Laici, vel ubi reus tantum est Laicus: item in contractibus decimalibus temporariis, sc. ubi tantum fructus decimalium ad tempus venditi, locativè sunt, ut & in causa soluti vel non soluti, pariter si facti quæstio oriatur super denegatâ solutione decimalium, tunc si id ipsum ex libello Actoris vel aliâs constat, ejus cognitionem etiam judicii seculari vindicant. Porrò quærunt: an decima Ecclesiast. sint objectum compromissi? & respondent: Affirmando.

§. 5.

Quæcum ita sese habeant, nullum est dubium,
quin

quiñ decimæ Ecclesiastice privilegiatum sibi vendicent forum, tam ob personarum, quibus conferuntur, quām causæ qualitatem, quam aliarum causarum piarum qualitati æquiparandam censemus; Haud verò convenienter juri Canon: asseri potest, decimas seculares iisdem gaudere fori privilegiis, quibus Ecclesiastice, cum in illis cesserantones pro his allatae. Cessat favor personæ; Cessat favor Causæ, consequenter cessant prærogativæ fori in favorem decimarum Eccles. indultæ; ac licet decimæ hodiè in terris statuum Evangelicorum, post Reformationem aliam induerint faciem, nec omnia & singula de iis ut rebus spiritualibus in jure Canon: constituta iisdem applicari possint, sed cum discretione ex hoc de iis, statui debeat, ut loqui amat D. Mev. p. 8. d. 66. n. 3. illas tamen, ut non in majori quam decimas aliasve seculares res ac profanas, habeamus censu, ab Ecclesiis nostris abest longissimè.

CAPUT V.
DE PRIVILEGIO, QUO
Decimæ Ecclesiastice gaudent ratio-
ne processus.

Forum indivulso nexu sequitur processus: Trita fere apud DDres juris est divisio, quā judicium aliud dicitur ordinarium, aliud extraordinarium seu summa-

§. 6.

D

summarium; Et sicutiam processus salvo tamen discrimine inter judicium & processum, aliis ordinarius, alias summarius dici potest. *JUDICIUM ORDINARIUM*, quod & solenne vocatur, illud est, in quo causa pleno ac solenni processu ventilatur, nec quicquam omittitur, tam in dilatoriis, quam peremptoriis, quod vel Actori vel Reo ulla ratione commodo esse possit. *SUMMARIUM* verò, in quo causa de simplici & plano fine strepitu judicii omissis nonnullis aut formaliter non comprehensis partibus judicii ordinarii ad citius consequendum litis exitum tractatur; Brunn, *de Process. Civ.* c. 1. n. 16.

§. 2.

Quod si igitur judicium extraordinarium aliquo praे ordinario gaudet privilegio, hoc ipsum & decimis Eccles. non erit denegandum. In numero causarum in judicio summario ventilandarum Ddres variant. Ordin. Camer. p. 3. r. 2. triginta recenset, ac inter illas etiam decimas Eccles. computat.

§. 3

Cur vero non tam in ordinatio ac solenni, quam hoc extraordinario ac summario ventilari gaudeant, sequentes rationes suadere videntur (1.) interesse publicum, & quidem Ecclesiarum, cuius omnino interest, ut & litibus & sumtibus litibus impendendis obex ponatur (2.) sicut omnes causæ alimentorum nos patiuntur moram, ac propterea tale exigunt judicium, ita & decimæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiarum spectantes, idem judicium, in quo lis breviori via componatur,

80(27)28

natur, flagitant. (3.) Ordin. Camer. decimas exprestè
inter Causas judicij summarij referit. (4) Ex specialissimâ
Constitutione Justiniani in Nov. 83. in pr. §. ult. lites
Clericos concernentes spaciū duorum mensium non
transcendere debent, qualis temporis limes judiciis or-
dinariis non est fixus.

S. 4

Quod verò Antistites juris de processu summario
in genere notandum ducunt, talem non dici summa-
rium, quasi obiter, tumultuarie & præcipitanter hæc cau-
sa sit tractanda, id quod ab omnibus judiciis longissime
abesse debet, *Præcipitania enim est novacula iustitiae,*
nec properare convenit ad iusta, sed legitimâ viâ tende-
re per l. i. C. de Exec. rei judic. Mév. p. 5. d. 105, unde
& in hoc judicio iudex non omittat, quicquid ad causæ
cognitionem & veritatis indagationem facit, sed probè
observet substantialia, quæ à legitimo processu nuna-
quam abesse possunt, ut narratio facti, citatio, respon-
sio, probatio, defensio rei & sententia. vid. Brunn.
Proc. Civ. c. 1. n. 11. in fine, quæ quibusdam substancialia
processuum de jure Gent. dicuntur. Carpz. *Pro-*
cess. tit. 1. art. 1. n. 29. idem quoque de processu, quo de-
cimæ ventilantur, observandum, ne & hæc causa pia
in judicio summario oscitanter & negligenter tractetur.
& sanè gravissimè hæc de re loquitur Beatus Magnif. Do-
minus D. Mollenbec. *Cent. 1. Div. 75.* *Quanquam,,*
summarius processus suâ laude dignus sit, & in curiis,,
ac judicis pio ac bono consilio receptus, si tamen con-,,
troversæ rei & negotii natura, qualitas & circum-,,
stancia

ligal

D 2

stantiae aliae prolixiorem requirant processum, certe
cunctarimanda, & ordines rerum plenâ inquisitione
discutiendi sunt, ne nimium properando cœcos paria-
mus catalos, & justitiam celerius administrando in-
justitiam faciamus.

§. 5.

Proinde quod in aliis ad hunc processum spectantibus
causis vel judici vel partibus litigantibus concessum
est, dum sc. judici pro suo arbitrio invitatis partibus li-
tigantibns non licet processum summarium convertere
in ordinarium, ac in tali casu causa appellandi invenit
locum, licet autem eideat pro ratione causæ, personarum,
loci & temporis ipsis processu solenni acturis ex
officio summarium injungere: Item dum Actor in cau-
sis ordinariis viam processus summarii ambulare cupit,
non auditur, altera parte invitata vid. Dominus D. Mol-
lenbec d. I. & Brunn, de proc. Civ. c. 1. n. 19. Merv. p. 3.
d. 16. n. 6. idem in cauſa decimorum quoque locum ha-
bere arbitror.



CAPUT VI. DE PRIVILEGIO DECIMA- rum Eccles. ratione legati.

§. 1.

A processu, tanquam actu fori generaliori progedi-
murad quosdam specialiores, yisuri, quid privi-
legii

gii decimæ in illis habeant? Primo vero loco sese offert a-
etius testamentum condendi, in quo Ecclesia non ad o-
mnes solennitatem ordinariæ in testamento requisita
adstricta est. Nam quemadmodum illa in ulti-
mis voluntatibus non tantum utitur jure collegii liciti,
sed & quod plus est, privilegiati, sic quoque abs-
que solennitate testium eidem decimas tanquam rem
piæ causa legari posse afferunt Dominus Struv: Exere,
XXXII: th. 23. & Richt: p. 1. d. 28. arg: c. 4. X. de Testam.

Consentiant Ddres in eo, quod solennitatem jure
Civ. ad testamentum solenne & perfectum requisitæ, in
iis, quæ ad piæ Causam legantur, & sic etiam in pun-
cto decimarum Ecclesiasticarum non omnes & singulæ
requirantur, v.g. non 7. testes. Hoc vero controver-
sum est: An nulli omnino testes requirantur, ita ut e-
iusmodi testamentum vel legatum ad piæ causam abs-
que omni solennitate juris Civ. nullo planè adhibito
teste, solâ scripturâ Testatoris factum subsistere possit?
id quod Antecessores Jenenses Dominus Struv. & Domi-
nus Richt. suprà alleg: afferuerunt, ejusmodi testamentū
omnino validum & ab heredibus respiciendum esse sta-
tuentes. Eandem sententiam tenuit Tiraqu. in Tr.
de privileg. piæ Caus: ubi inter alia duo sequentia ponit
privilegia. 1. Rogatio Testium non est de substantia te-
stamenti ad piæ causas; nam in eo solum juris gentium
& diviniratio habetur. 2. In piis causis sola subscri-
ptio manu testatoris sine testibus facta vim testamenti
obtinet.

Hanc vero sententiam non omnino approbarunt Antecessores Lipsienses, legatum quidem ad piam causam in praesentia duorum testium factum pro rato validoque habentes; Quocunque enim modo, seu per heredis institutionem, seu per modum legati aut codicilli quid relictum fuerit ad pias causas, jure subsistere, adhibitis licet duobusduo taxat testibus, nunquam vero absque ullo teste confessum valere pronunciaronit, nisi iure divino & humano. In ore enim duorum vel trium testium stat omne verum Matth. 18. v. 18. ex Deut. XIX. v. 18. Accedit jus Canon: & quidem Constitutio Pontificis Alexandri III. in C. relatum II. X. de Testam. Quae constitutio non solum in terris Ecclesiarum Romanarum, sed etiam in aliis terris imperii Rom: observari debet, quantum constitutionibus Imperialibus non contrariatur, ut supra de jure Canon: in genere ex Mevio accepimus; & huic sententiae tanquam communiori alii quamplurimi Dres subscribunt. vid. Carpz. p. 3. c. 4. d. 33.

§. 4.

Obst: Si testamentum militum aut parentum inter liberos solam scripturam absque testibus factum in foro consistit, sequitur, quod & testamentum de decimis sola scriptura testatoris absque testibus confessum subsistat. At qui prius est per l. I. & 15. §. 1. l. 40. pr. ff. de Test. Mil. L. 1. in F. C. h. t. Nov. 107. in pref. sc. si pater propriam manu testamentum scripsit; cum testes non sunt necessarii arg. l. 2. §. 1. C. de Testam. Carpz. p. 3. c. 4. d. 17. E. & Neg. Consequ. quod enim ex speciali favore militum

&

& liberorum constitutum, id non est trahendum ad pias Causas, adeoque nec ad decimas ecclesiasticas, ne quidem ex identitate rationis: quod vero contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequencias: Inquit Paulus *I. 14. ff. de LL.* sufficit testamentum super decimis Ecclesie confectum, gaudere privilegio piis Causis proprio, quod nimur subfistar de jure cotram duobus aut tribus testibus factum, quo favore legatum decimarum secularium minime gaudet.

Eluceat vero prærogativa decimarum Ecclesiasticarum præ secularibus quoad punctum legati & testamenti ex multis aliis Casibus. Præsuppono enim decimas Ecclesiasticas iisdem gaudere privilegiis, quibus & aliæ piaæ causæ gaudent, cum neminem fore credidetur, qui decimas Ecclesiasticas piis causis accensendas esse, negatum iverit. Accipe ergo prærogativam illarum in puncto legati & testamenti in seqq, exemplis & casibus (1.) infirmat hoc testamentum in præsentia 2. testium aliud solenne 7. exhibitis testibus factum. Tiquam. de privileg. piaæ caus. (2.) ubi alias duo testamenta fuere facta, ac deficitur, utrum sit prius? posterius ve? ambo sunt nulla, eo quod se se invicem confundant, & unum alteri valorem suum adimat, excepto tamen ca?su, si duo confecta sint uno eodemque contextu ac tempore subscripta, valet utrumque, sed jure Prætorio, Conf. I. 1. §. 6. de Bon: poss: sec: tabb, Mantz. decis: Pal. 31. Conf. Magnif. Domini D. Mollenbec: Præceptoris ad cineres usque, venerandi nuper habita Disp. de duabus Testam.

Testam. simul. valid. Verum si in altero testamento legitum fuerit ad decimas Eccles. illud ex favore erga pias causas presumitur esse posterius, adeoque validum censetur præ priori arg. l. i. C. de jure fisc. & hoc adeo verum esse dicunt Dres, ut licet alias in hoc dubio sis, qui est in possessione, præferatur alteri, quando non constat, utrum testamentum sit prius? vel posterius? fallat tamen, quando in uno est instituta Ecclesia, quippe quæ præfertur alii, etiam existenti in possessione; nam possessio quidem reum facit potiorem, favor autem piæ causæ præfertur favori rei per C. ult. X. de re judic. & in l. pares ff. de re judic. (3.) quando legatarius alias non potest propriâ authoritate legatum accipere, ac heredi tenetur restituere per l. un. C. quor. legat. quin etiam nonnunquam perdit legatum. per l. non est dubium C. de LL. Carpz. Conf. 3. in fine & Conf. 302. non tamen id procedit in legato ad decimas Eccles. ubi Ecclesia propriâ authoritate, quæ non tam privata, quam publica est, legatum sibi vendicare non prohibetur, vid. Tiraqu. d. l. privileg. 45. ac ejusmodi exempla prærogatiæ, quâ decimæ Ecclesiasticæ, quoad punctum legati gaudent præ secularibus, multò plura adduci possent, nisi adducta sufficere judicarem.

CAPUT

CAPUT VII.

DE PRIVILEGIO NON AP-

pellandi in Caus: Decim: Ecclesiast:

Intra actus fori frequentiores non postremum locum obtinet *Appellatio*, quæ est juris remedium, quo contrajudicis inferioris gravamen judicis immediate superioris jurisdictionem debito tempore & modo imploramus, ita definitio Text. *Prax. judic. p. 1. c. 12. n. 8.*

§. 2. Gaudent vero quædam judicia privilegio singula-
re de non appellando: Sunt etiam quædam Causæ in-
appellabiles, licet non omnes ex uno eodemque Capite
tales sint. Ornavit hoc privilegio jus Canonicum etiam
Causam decimarum Eccles: in *C. Tu a nobis 26. in fin. X. de*
decim: &c. in verb: *appellazione remotâ compellas.* unde nec in Camerâ, si petitorio agatur, illam appellatio-
nem recipi testatur *Gail. 1. obs. 38. n. 2.* sed ad judicem
Ecclesiasticum uti competentem remitti attestatur
Klock. Conf. i. n. 98.

§. 3.

An vero Pontifex hanc Causam Ecclesiasticam
privilegio de non appellando propterea muniverit, quod
E appel-

appellationem istam ad aliud forum seculare suæ supræ potestati Ecclesiasticæ magnò præjudicio fore existimârit ? aliorum judicio relinquitus. Canonizæ dicunt , Causam hanc esse spiritualem ; ideo judicem secularem ejus esse in capacem , indeque nec ad illum appellationem invenire locum. Redduntur & aliax hujus juris & privilegi rationes (1.) quia causa decimarum inter causas pias fortior locum (2) decimæ usui sacro , nempe sustentationi eorum , qui altari serviunt , sint dicatæ ; qui finis nempe sustentatio Ministrorum Ecclesiæ , quatenus appellatione impeditur omnino ea prohibita est. Cessante autem causâ prohibitæ appellationis , eam admittendam esse judicant Dres : v.g. si debitor decimarum condemnatus fuerit , illi concedunt quidem appellationem , sed non aliter , quam si prius solverit decimas , ne finis decimarum , scil: sustentatio Ministrorum Ecclesiæ impediatur ; deinde vero causam suam prosequi ei non denegant. Rebuff. Tr. de Decim: qu. ult. n. 21. Mev. p. 6. d. 224. & p. 9. d. 67. Paritet quando decimæ Ecclesiasticæ in seculares convertuntur , non saltet expirat earum pristinum privilegium , sed & appellationi subjiciuntur ; mutata enim rei conditio mutat qualitatem & effectum juris.

CAPUT

(35) 25

CAPUT VIII.

DE PRIVILEGIO NON ALIENATIONIS, quo Decimæ gaudent Ecclesiasticæ.

§. 1.

Privilegiis, quibus munitæ sunt, ut alia res Ecclesiæ, ita & decimæ, omnino accensendum est illud, quo illas haud alienare per Canones licet. *Canon: 20. 22. Caus: XII. qu: 2. C. 5. X. de reb. Eccles. alien: Conf: §. 8. J. de Rer. div. & l. fin. C. de Reb. alien. non alienand. quo privilegio decimæ seculares minimè gaudent.*

§. 2.

Per alienationem hinc intelligimus omnem actum, quo vel rei dominium, vel jus aliquod reale transferatur, quod sit donando, vendendo, permutando, in emphyteusin vel in feudum dando, oppignorando, secularisando, vel in usus profanos convertendo. vid. Brunn: *ad jus Eccles: L. 2. C. 2. §. 5.* & Dessel: *Erot: juris Canon: Lib. 3. tit. 13. qu. 1.*

§. 3.

Non vero silentio prætermittendum hinc est discrimen, quod Ddres inter *res sacras & bona Ecclesiastica* obser

E 2

obser

observandum tradunt. Per res sacras intelligunt eas, quæ per Pontificem certis adhibitis solennibus & Cere moniis DEO sunt consecratæ, veluti ædes sacræ, quæ quidem consecratio, prout vestita est Ceremoniis Pon tificiis, in Ecclesiis Evangelicis abolita est; Sed si in illis res aliqua ad usum sacram perpetuò fuerit destinata, pro sacrâ reputatur. Habent etiam Ecclesiæ Evangelicæ pias verboque divino conformes Ceremonias, quas in inaugurandis ædibus sacræ adhibent, ut precibus & hymnis DEO commendetur Ecclesia (sicut & jus Canon: precibus divinis consecrationem fieri debere exigit per C. 13. de Consecr. Dist. 1.) & solenni concione Auditores ad devotionem excitentur. Bona verò Ecclesiastica sunt, quæ sustentationi Ecclesiæ, personatum que Ecclesiasticarum inserviunt. Item distinguunt inter res sacras mobiles & immobiles. Mobiles sunt instrumenta cultus divini: Immobiles sunt loca sacra, in quibus cultus divinus peragitur: Pari modo bona Ecclesiastica alia mobilia, alia immobilia dici queunt.

§. 4.

Quod igitur alienationem in hisce rebus Ecclesiæ attinet, illa per Canones non saltem Laicis, non saltem Clericis, sed & ipsi Pontifici est prohibita per d. C. Non licet 20. c. 12. qu. 2. & qui ejusmodi res sacras in profanos usus convertit, sacrilegium committit c. 21. c. 12. qu. 2. ratio hujus juris singulatis in bonis Ecclesiasticis redditur hæc, quia res sacræ bonaque ecclesiastica exempta sint non saltem dominio laicorum sed & Clericorum; Cujuscunque vero rei aliquis non haber

domi-

§(37) 25

dominium, eam nec alienare potest per C. 2. X. de reb.
Eccles. non alien.

§. 5.

Excepti tamen nonnulli sunt casus, in quibus alienatio rerum sacrarum & bonorum Ecclesiasticorum, quorum in numero etiam sunt decimæ, locum invenit, (1.) *in casu pietatis*, quando v. g. liberandi sunt captivi à barbaris detenti, qui omni precio temporali sunt nobiliores. L. Sancimus 21. C. de S. S. Eccles. C. aurum c. 12. qu. 2. (2.) *in casu necessitatis* quando Ecclesia ære alieno obruta aliud non habet remedium, quo se à Creditori- bus liberare possit, (3.) *in casu majoris utilitatis*, ut si res aliqua Ecclesiæ minus utilis, ad aliam magis utilem comparandam alienetur. c. 8. in fin. X. de reb: Eccles. alien. sic v. g. Si Ecclesia jus decimandi habeat in loco longin- quiori, vel in aliquo prædio non sui sed alius Principis dominio subiecto, illudque permutare possit cum jure decimandi in loco propinquiori, aut prædio sui Princi- pis dominio subiecto, & quidem absque ullo decima- rum detimento, alienatio non est prohibita. Brunn. ad 7. E. L. 2. c. 2. §. 6. Klock vol. 1. Cons. 35. n. 39. ff.

§. 6.

Etsi vero illa hisce in Casibus concedatur, non tamen absque forma præscripta & solennitatibus requi- sitis fieri debet. Requiritur ergo juxta jus Canon: ut alienatio fiat à Prælato cum Capitulo vel Clero prius ha- bito desuper tractatu, an sc. expediat eam alienari, ac cum consensu expresso & subscriptione totius Capituli

E 3

vel

vel majoris partis, si vero horum quid fuerit omissum, tunc alienatio erit ipso jure nulla per *C. ult. X. de reb. Eccl. alien: vel non alien:* nam factum contra Canones est ipso jure nullum, quemadmodum jure Civ. quod fit contra leges, habetur pro infesto per *L. non dubium C. de LL.* sic ut si per alienationem etiam legitimè factam Ecclesia graviter fuerit lata, possit adversus hujusmodi alienationem in integrum restitui, & rescindi alienatio, exemplo minorum, quibus Ecclesia comparatur.

§. p. 7.

Eandem vel similem formam alienandi præscriptam legimus in *Nov. 120. c. 10.* & hinc desuntā *Aub.* Præterea *C. de S. S. Eccl.* ut si Ecclesia superflua habeat vasa, & ære alieno gravetur, nec alia solutionis media suffpetant, hujusmodi vasa tunc vel alii Ecclesia certo pretio vendantur, vel si emere nolit, conflata prius cuicunque etiam privato plus licitanti divendantur, hâc tamen servatâ distinctione, quod res verò sacræ nonniſi in prædictis casib⁹, necessitat⁹, pietatis & utilitatis, res verò quasi sacræ, ut sunt decimæ, præbendæ & similia beneficia ecclesiastica in casu insignis utilitatis, abundantia & incommoditatis alienari possint, modo semper præcedat causæ cognitio & superioris consensus atque decretum *c. 52. c. 12. qu. 2. & Nov. 120. c. 6. §. 2. Mev. p. 9. d. 6.* quod in terris Pontificiorum adhuc suo modo obſervatur; suo modo &

inter Protestantes,

CAPUT

CAPUT IX.
DE PRIVILEGIO HYPO.
thecæ Ecclesiæ intuitu Decimarum
competente.

§. I.

Quemadmodum decimæ Ecclesiæ: ut alia bona Ecclesiastica regulariter per *supra alleg. loca* non sunt alienandæ , qui actus etiam complectitur oppignorationem , prout in p̄ced: Cap: accepimus; ita nunc porrò ostendemus singulare aliquod privilegium, cum quo decimæ Ecclesiasticæ quoad hypothecam conjunctæ sunt , dum non saltem ipsæ non sunt alienabiles per oppignorationem , sed Ecclesia quoque hypothecam habet in bonis ejus , qui eas præstare tenetur, per l. lex vestigali 31. in fin. ff. de pign: l. 1. ff. in quibus Caus: pign: vel hyp. l. 15. ff. qui pot: in pign: imo in tantum sunt privilegiatae juxta Cz: L. i. jurispr: Eccl: & jurispr: for. p. 2. Constat. 28. d. 54. ut Decimatum pensiones hypothecarii etiam antiquioribus ac reliquo æri alieno præferantur, sed testatur de jure Saxon: & Monet: Tr: de Decim: c. 6. n. 19. ut decimæ à prædecessore non solutaæ à novo possessore prædii solvendaæ sint , quia hypotheca possessorem sequitur. Æquitati tamen congruentius statuunt

statuunt D. Brunn: de jure Eccles: L. 2. c. 6. §. 7. & D.
Stryck. ibidem in not: ut non tam à novo possessore,
quam potius ab eo prætentur decimæ , qui integros
consumferit fructus, & utique ille qui fructus jam tum
percepit, convenientius sit condicione ex Canone sc: ille
quo sunt introductæ. arg. l. un: ff. de Condic: ex lege, si
autem consumti sint, condicione sine causâ vel injustâ
causâ, quam sententiam probat Dominus Stryck in not:
loc: cit: sub cautione: Si ille qui fructus percepit, sit sol.
vendo.

S. 2.
An vero in tantum & eò usque se se extendat favor Ecclesiarum, ut eidem tanquam Creditrici propter debitas decimas propriâ authoritate bona Creditoris solvere non lentis ingredi liceat? Aut, si ingressa fuerit, incidat in peccatum L. si quis in tantam C. unde vi, adeoque & que ut alii Creditores amissione crediti punienda sit? Ddres disquirunt. Ad questionem respondeo: i. quod juxta quosdam Doctores rigor ille legis quoad violentos rerum hypothecatarum possessores orbis Christiani usu & praxi sit antiquatus, nec in judiciis ultra observetur; Covarruv: L. 3. Resol: c. 10. n. 7. quod si ita est, nec Ecclesiam in hoc puncto lex allegata feriet. ii. 2. Esse tamen alios Ddres qui legem citatam defendunt, eò quod non per aliam constitutionem juris Canon: tollatur, & si talis extaret constitutio, juri tamen Civili potius quam Canonico standum esse tradunt. Interēa hi ipsi Ddres excipiunt Causas Ecclesiarum, quæ non privatâ sed publicâ

publicā authoritate agit, adeoque nec poenam d. legis
incurrit. Mev. p. 1. d. 25. Tiraqu: de prizileg. pie
Caus: 144.

§. 3.

Porro queritur; Si immisio Ecclesiarum bona de-
bitoris concessa est, an executio etiam in res ad agricultu-
ram pertinentes: prout sunt equi, boves aratorii, a-
ratra &c: quibus agricultorū nullatenus carere possunt, de
jure fieri possit? &c. Res ad agriculturam, utpote com-
mune vitæ humanæ sustentandæ adjumentum pertinen-
tes plenâ gaudent securitate & à pignoratione sunt im-
munes per Lib. 7. & 8. ff. que res pign. oblig: poss: &
sequ. Auth. Agricultores. C. eod. tit. adeoque ob bonum
publicum, cui cedere debet privatum, in exe-
cutionem venire non possunt, nec debent Coler: de
process. execut: p. 2. c. 3. n. 187. ff. idque obtinet communi
Doctorum calculo, non tantum de pignore judiciali,
quod capitur pro executione judicati, sed etiam in pi-
gnore & hypothecâ conventionali generali & speciali,
præsertim ubi alia adhuc media ac bona superflunt, de
quibus creditoribus satisfieri potest, illis necessariis o-
mnino parendum est vi legis omni humanitate & pie-
tate gaudentis, omnibus egenis consulentis, & cre-
ditoribus mediocre solatium adferentis, prout loquun-
tur Imperatores in loc: supra allegat. Praxis tamen dictæ
sanctioni passim reclamat.

§. 4.

Dicis 1. Ecclesia commodum non esse privatum,
sed publicum, E & illud præferendum esse damno pri-
vati.

F

vati.

vati. *¶* ita quidem est; Sed cavendum est Ecclesiaz
ne egenos exiendo necessariis sustentandæ vitæ com-
munis subsidiis sibi ipsi quam maximè noceat, & ali-
menta necessaria subtrahat, damnum ex cessatione a-
griculturæ ortum non privatum sed publicum est.

§. 5.

Dicis 2. Privilegiatus contra æque privilegia-
tum non utitur privilegio, adeoqne nec Ecclesia ute-
tur privilegio hypothecæ ratione præstandarum deci-
marum contra suos debitores æque privilegiatos, quos
exequatur quoad res aliás privilegiatas. *¶* I. probè
observandum est vocab: *agnè* quod involvit ut uter-
que privilegiatus prorsus uno eodemque gaudeat pri-
vilegio, & privilegia in pari statu sese habeant, quod
hic cessat, E. nec hīc locum habet Reg: dicta; deinde
videndum, quis æque privilegiatorum certet de lucro
captando, quis de damno vitando? nunc verò est in a-
prico, Ecclesiaz certantis de damno vitando privilegi-
um fortius esse privilegio renuentis solvere decimas,
tanquam certantis de lucro captando, cum intendat
cum detimento Ecclesiaz locupletari: denique proce-
dit regula: nisi unius privileginm sit generale, alterius
speciale, hoc enim stringit fortius ac derogat generali,
plur: vid. D. Stryck *Disp. de jure Privil. contra æque
Privileg:*

§. 6.

Denique cum in præsentiarum occupati simus
circa favorem decimatarum ratione hypothecæ, non pa-
rum quoque faciet ad corroborandam earundem præ-
rogativam, quod quibusdam in locis absoluto præla-
tionis

tionis privilegio gaudeant, ac creditores decimatum Ecclesie statim in primâ classe collocentur, præsertim cum decimæ tanquam onera quotannis solvenda ipsis bonis debitoris inhærent, consequenter ut aliae similes pensiones, quæ Ecclesiarum Pastoribus, Scholari- bus, aliisque piis causis debentur, una cum tributis in unâ eademque Classe & Ordine reliquo æri alieno præferantur. Carpz: p. i. c. 28. d. 54. quamvis de jure com- muni hujusmodi pensionibus solummodo tacita hypotheca absque prælationis privilegio indulta sit, per L. i. ff. in quibus Caus: pign: vel hypoth. L. lex vestigali 31. ff. de pign: l. 15. ff. qui pot: in pign.



CAPUT X. DE IMMUNITATE DECI- marum Ecclesiast: à Collectis.

§. I.

Privilegium de non alienandis decimis, & quod Ecclesiæ competit ratione hypothecæ in bonis ejus qui illas persolvere tenetur, sequitur aliud non inferiori loco habendum, *immunitatis scil: illarum à Collectis.* Ipsa vox immunitatis importat privilegium. Distinguimus autem 1. inter personas & bona Clerico- rum, 2. inter bona Clericorum *in sensu diviso*, qui sunt Clerici, & *composito*, quatenus sunt Clerici, seu quod idem est, inter bona ipsorum privata, sive sint here- ditaria,

F 2

ditaria,

ditaria , sive industria acquisita , & Ecclesiastica : Sermo nobis h̄c est de bonis Clericorum , & quidem non privatis, sed ecclesiasticis , quorum in censu etiam sunt decimæ . Quod enim bona illorum privata , quæ vel per hereditatem acepere , vel suis sumtibus sibi acquisivere , concernit , illa à tributis non sunt immunia , nisi ex speciali indultu Principis velex alio capite illam immunitatem obtinuerint ; quod autem bona clericorum ecclesiastica attiner , illis omnes ferè leges immunitatem asserunt . I. *Lex divina* , sic *Num. XVIII. v. 25. ff.* legitimus , DEUM tradidisse Sacerdotibus decimas , ut ipsi in ministerio cultus sacri servirent ; de decimis ergo illis , quæ dabantur pro eo , quod altari inservirent , nullum solvabant tributum , quia dabantur in alimenta . Sunt hæc bona nullius personæ propria , ad communem tamen sustentationem ministrorum Ecclesiæ destinata , unde & à tributis exempta . Hinc Joseph secundus à Rege in Ægypto cum totam Ægypti terram tributariam fecisset , Sacerdotum terram exceptit , eamque liberam esse voluit . *Genet. XLVII. v. 22.* II. *Jus Civile* , per l. placet . 5. & l. sanctimus 22. C. de SS. Eccles. quæ immunitas quidem de jure Civ: Veteri non absolute est intelligenda , jure autem recentiori per Frider: II. Imperatorem id privilegium immunitatis à Collectis generaliter est concessum ut sc. à nullâ comunitate vel personâ publicâ aut privata Ecclesiæ collectæ imponeretur . *Auct. item nulla C. de Episc. & Cl. III. ius Canon: c. 4 & 7. X. de immunit: Eccl.* quod hanc immunitatem generalissimis Sanctionibus munivit , adeò ut nullæ personæ

personæ seculares collectas ecclesiis vel personis ecclesiasticis imponere possint. C. non minus 4. & C. adversus 7. X. de immunit Eccles. C. Clericus 3. eodem in 6to. quanquam Clemens V. istam constitutionem Clericis suo modo revocaverit in Clem: Un: d. t. IV. Universitas orbis Christiani consuetudo, quæ est instar juris gentium; ita communis etiam habet JCTorum opinio hanc immunitatem Ecclesiæ deberi. vid. Mev. part. 5. dec. CCXXII.

§. 2.

Faciunt tamen Ddres etiam huc discrimen inter bona Ecclesiæ, quæ ab omni vestigialum & tributorum onere à longo tempore extitère immunia atque libera, & interea, quæ Ecclesia à privatis accepit, & nunquam à pensionibus imò ne ipsis quidem decimis secularibus aliis pendendis fuerunt libera & immunia: Quod priora attinet, illis sua immunitas omnino sarta teatque manere debet: Quod autem posteriora concernit, ipsa praxis ubique testatur, talia à pensionibus & ipsis decimis secularibus non esse immunia, quam immunitatem non aliter quam vel per indulustum Principis, vel beneficentiam eorum, qui jus habent pensiones vel decimas in modò dictis prædiis Ecclesiæ exigen- di, impetrare possunt.

§. 3.

Denique distinguendum est inter onera ordinaria, & extraordinaria in casu necessitatis toti communi- tati imposta; Quanquam enim Ecclesia à tributis ordi- nariis extra casum necessitatis sit immunis, in casu ta- men necessitatis, v. g. à Collectis bellicis, quæ ad

communem Reip: necessitatem pertinent , ne quidem Ecclesiæ hodiè videmus exceptas , idque & in Galliâ servatur & in Imperio nostro ; vid. R. I. de anno 1500. In der Ordnung des Regiments. rubr: daß die Geistlichen allwege. & rubr: Von der Steuer der Stift Elöster. R. I. Spir. de anno 1542. §. und zu diesem Christlichen quod idem repetitum est in R. I. de anno 1544. §. und zu diesem Christlichen vid. Gerh: LL. Theol. de Magistr: Polit: §. 441. Bald: Cas. Conf: L. IV. c. XII. cas. 14. Klock: tract. de Contrib: cap. XII. n. 225. Text: Prax: jud: p. 2. c. 5. n. 32. Stryck. addit ad Brunn: J. E. L. 2. c. 3. ad §. 6. Extra casum autem summae necessitatis publicæ ad hunc usque diem gaudent decimæ Ecclesiæ privilegio immunitatis à collectis ; Secus verò dicendum de decimis secularibus, quæ ut aliae res profanæ ordinariis collectationibus subjacent.



CAPUT XI. DE PRIVILEGIO DECIM: Ecclesiæ ratione Præscriptionis.

§. I.

Privilegium ultimum , quod primo ferè loco penitari merebatur , illud est , quod decimæ Ecclesiæ per Canones præscribi nequeant , vel quod contra

§(47) 25

contra illas non valeat præscriptio per C. *Censam* 7. X.
de prescriptione: & deducta apud Besold: p. r. *Consil.* 20.
n. 2. *ff.* idque præfertim respectu Laicorum intelligunt:
Ecclesiam verò decimas alterius Ecclesiæ intra 40. an-
nos præscribere, per idem jus probatur. C. *De quar-*
ta. C. *Ad aures*. X. de *Præscript.* Textor. *prax. judic.*
p. 2. c. 5. n. 39.

§. 2.

Quemadmodum igitur decimalium Ecclesiast. non alienatio non est absolutè talis, sed limitata, ac in certis casibus concessa, ita quoque se habet illarum non-præscriptio. Cum enim praxi & experientiæ teste ub que locorum in orbe Christiano Principes, Comites, Nobiles & plures alii privati etiam decimas possideant ac hi ipsi decimalium possessores inter alia etiam titulo præscriptionis possessionem suam tueantur, inde irrefragabiliter sequitur, decimas non absolutè esse impræscriptibiles, alias Ecclesia, quæ vi juris Canon: sibi soli jus decimandi vendicat, omnes illas decimas à Laicis repetere posse, id quod contra ipsum jus Canon. est, quippe quod Laicis, qui ante Concilium Lateranense decimas possederunt, possessionem illarum reliquit, per express: text: in C. 2. vers: *Sane de Decim:* in 6. C. *Cum Apostolica*. 7. in fine X. *De his, quæ sunt à Prael:* C. *quanto*, & C. *prohibemus* X. *de Decim*, & licet text: d. c. 1. *prohibemus*, quod ex eodem Concilio scriptum est, insinuare videatur, laicos cum animarum pericu-
lo decimas possidere, quas etiam ante illud Concil. ob-
tinuerunt; tamen vel loquitur de obtentis sine legiti-
mo

mo infeudationis jure ; vel de Laicis non exhibentibus Ecclesiæ debita obsequia & servitia , quæ ratione feudi exhibere tenentur ; prout optimè exponit Covarr. var. *Resol. c. 17. n. 5. vers. & dubio procul. in fine Moneta Tr. de Decim: c. V. qu. 3. concl. 2. n. 66.*

§. 3

Proinde i. tempora discernenda esse existimo, tempus sc. ante Concilium Lateranense , & tempus post illud Concilium. Ante illud Ecclesiam habuisse jus decimandi, nemo facile negaverit. Quo seculo autem & sub quo Imperatore illud adopta fuerit, non satis liquet. Referunt quidam Scriptores illud ad Constantini Magni : alii ad Caroli M. alii ad Gregorii IV. Pontificis & Ludovici Pii Imperatoris tempora. Quando enim in ortu & primordio Ecclesiæ, furore hostium ejus adhuc passum grallante, fideles bona sua in commune conferebant, quin & oblationes multæ siebant, unde & Praecones verbi divini & pauperes sustentabantur, postmodum quando furore hostium nonnihil remittente, Ecclesia halcyonia fuit nacta, charitate autem Christiana refrigercente, Ministris Ecclesiæ vietus necessarius defuit, illis eum in finem decimas destinatas fuisse tradunt. Proinde negari nequit, Ecclesiam ante Concilium Lateranense anno 1179. sub Alex: III. (ut ex Platina, Sabellico, Volaterano & aliis tam Doctoribus quam juribus ostendit Covarr: *Var. Res. c. 17. n. 5. vers. & dubio procul. Menoch. L. 6. præsumt. 86. n. 2.*) celebratum, jus decimandi habuisse ; Verum & multos Laicos ante illud Concilium decimas possedisse, pariter negari nequit ; & quidem beneficio

beneficio Ecclesiaz, veluti per insefuationen ab illâ, tum quod fidem operam Ecclesiaz præstissem, tum quod & in posterum præstare deberent, illas possedisse, Canonistarz tradunt; atque hæc decimarum alienatio, quâ redditus Ecclesiaz diminuti fuere, occasionem præbuit cogendi Concilium præmemoratum, in quo euidem sanctum fuit, ut decimæ Laicis, qui illas ante Concilium accepissent, relinquarentur; Verum ut sequenti tempore nullæ amplius illis conferrentur, & que dispostum fuit. Proinde privilegium de non-præscribendis decimis non valet adversus decimas Laicis concessas ante Concilium Lateranense, modò per tempus immemoriale possessionem probaverint possessores vid. Dominus Stryck in addit: ad Brunn: J. Eccl. L. II. c. VI. §. 10. una cum aliis ibidem alleg: Anthoribus.

§. 4.

II. In Constitutione de Pace Religionis anno 1555. in Comitiis Augustaois promulgata inter alia sanctum est, ne Statibus, qui post transactionem Passaviensem bona quædam Ecclesiastica extictioni ædium sacrarum vel alio impenderunt, eam ob causam aliqua lis intentatur: Verba ita se habent: Dieweil aber etliche Stände/ und derselben Vorfahren/ etliche Stift/ Eldster/ und andere geistliche Güter eingezogen/ und dieselbe zu Kirchen/ Schulen/ Milden und andern Sachen angewendet: So sollen auch solche eingezogene Güter/ welche denjenigen/ so dem Reich ohne Mittel unterworfen/ und Reichs-Stände seyn/ nicht zugehörig/ und deren Possession die Geistlichen zur Zeit des

G

Passau

Passauischen Vertrags/ oder seithero nicht gehabt/
in diesem Friedstand mit begriffen seyn/ und bey der
Verordnung/ wie es ein jeder Stand mit obberühr-
ten und eingezogenen/ und allbereit verwendeten Gü-
tern gemacht/ gelassen werden/ und dieselben Stän-
de derenthalb weder in noch außerhalb Rechtns/ zu
Erhaltung eines beständigen Friedens nicht bespro-
chen/ noch angefochten werden. Derothalben besch-
lossen und gebiehen wir hiermit/ und in Kraft dieses
Abschieds der Kaiserlichen Majest. CammerRichter
und Beyshern/ daß sie dieser eingezogenen und
verwandter Güter halben/ keine Citation, Mandat,
und Procesz erkennen und decerniren sollen. Sic er-
göli post Pacificationem illam alicubi locorum etiam
decimam Ecclesiasticæ fuerint alienatae, contra illam a-
lienationem privilegium de non prescribendis decimis
etiam non valebit, quia Dispositiones juris Canon: in
tantum respiciuntur, in quantum in Constitutionibus
imperii non aliud sanctum fuerit.

§. 15. §. 15. §. 15.

III. Observandum, in ipso jure Canon: non sal-
tem sed & Civ: constitutum esse, ut si quis vel per tem-
pus immemoriale sine titulo, vel 40. annorum inter-
veniente bona fide, justoque titulo aut decimarum pos-
sessionem, aut immunitatem ab illarum solutione pro-
baverit, illas prescrisperetur. per C. i. de Prescrip-
tionib. in 6. arg. L. omnes 4. C. de Prescript. XXX. vel
XL. ann. Auth. Quas actiones C. de S. S. Eccles.: vid.
Dominus Stryck in not. ad Brunn. ius Eccles. LII. C. 6.

§. 15.

R(51)R
§. 15. verb. præscriptione immemoriali. Werndl. Tr.
Vom Zehend-Recht. l.3. c.7.

§. 6.

Adversus quos igitur procedit hoc Privilegium?
Adversus eos, qui vel possessionem decimatum, vel
immunitatem ab illarum solutione per tempus imme-
moriale, aut ad nimium 40. annorum interveniente b.f.
justoque titulo probare nequeunt.

§. 7.

Dicis. Si omnes Laici juris decimandi sunt inca-
paces, sequitur, quod jus decimatum neque præscri-
ptione, neque alio titulo acquirere possint. Atqui pri-
us est. E. & Statutus Evangelici negabunt antecedens;
Ad quos enim devoluta est suprema jurisdictio Ecclesia-
stica, ad illos etiam devolutum jus decimandi. Canonistæ
autem distinguunt inter jus decimandi *primarium* &
secundarium, *spirituale* & *temporale*; Illud fundatum
esse dicunt in titulo spirituali, nempe in Ministerio Ec-
clesiastico, ejusque Laicos esse incapaces. Hoc autem
consistere in percipiendis fructibus decimatum, & ori-
tive velex donatione, vel ex contractu feudal, vel ex præ-
scriptione, vel ex privilegio &c. & hujus juris Laicos
capaces esse assertunt. §. 8.

Ex his igitur adductis Capitibus privilegia Decimatarum Ec-
clesiast; earumque prærogativam p̄ secularibus satis elucescere
arbitror; Proinde in portum me recipio, & cui primitias omnium
laborum meorum debo, Eideri & decimas gratarum actionis
pro concessâ mihi gratiâ & ope, omnibusque aliis beneficiis men-
tre devote offero, DEO nempe TRINUNI, cui sit laus
& gloria in secula seculorum.

G 2

COROL-



COROLLARIA.

1. *An Jurisdictio Imperatoris in causis Ecclesiasticis tam quod Romano-Catholicos, quam August. Confessioni addictos summo jure fundata sit? in conflitu dabitur.*

2. *Landgravii Hassiae ad exemplum Electorum gaudent privilegio de non appellando, illimitato, si sententia fuerit lata in Revisorio utriusque Domui communii.*

3. *Tutela Electoralis legitima, de qua A.B.C. VII §. 2. disponit, Testamentariam excludere videtur.*

4. *A successione feudorum tam legitimati per subsequens matrimonium, quam per Rescriptum Principis in punto juris non excluduntur.*

5. *Testamentum, quod suis caret solennibus, adeo nullum est, ut nec in conscientia heres ab intestato ad illud servandum obligatus sit.*

6. *Liberi tamen voluntates Parentum ob defecum Millennium salvâ conscientia impugnare nequeunt.*

7. *Im-*

7.

*Impuberes Sponsalia contrahere possunt, modò si
alieni juris sint, Parentum, si sui juris, Tutorum au-
thoritatem adhibeant.*

8.

Castratis non est permittendum Conjugium.

9.

*Perversa est Consuetudo, quæ judicis suadet, ra-
tiones decidendi partibus communicare.*

10.

*Ex pluribus Chirographis, si unum reddiderit
creditor, debitum remissione non intelligitur.*

II.

*Etsi proclamatio una pro tribus sufficiat, copu-
latio tamen Sacerdotalis per Octiduum ad minimum
differenda.*

12.

Clericus Clericum non decimat.

Dum Decimas tractas, Decimæ mox,
jure, sequentur,

Fruitibus ex Juris, quas Themis ipsa
dabit.

PræNobili Dn. SCHENCKIO, Auditori
suo hæc tenus indefesso, nunc jurium
Candidato dignissimo, de confer. ndis
Honori bus cum appreciatione omnigenæ
felicitatis ex animo gratulatur

BERNH. LUDOV. MOLLENBECIUS D.

G,

Ex

2154 25

EX decimis fructus hyberno tempore quartis,
Virtute & Studio præmia digna tuo,
Est Schola cultus ager, speratam mox tibi messem,
Palladis in castris, conferet Alma Themis.

*H*isce Nobilissimo & Eruditissimo Du.
SCHENCK, Amico & Fautori suo
honorissimo, de honoribus mox ex
merito conferendis, cum voto omni-
gena prosperitatis gratulatur
SIMON NICOLAUS ORTHIUS,
J.U.D. & Cons. Hass. Darmst.

DAt fundus decimas, doctrinæ præmia Pallas,
Quæ mox pro merito conferet, Alma, TIBI.
*Nobiliss: & Doctiss: Dno Candidato
cum voto omnigenæ prosperitatis
adscribebat*

MELCH: DEETHM: GROLMAN Dr.
Cons: Hass: Darmst: & Prof: Jur: Ord:

NOn decimæ, ex Decimis, quas hic proponis,
honorum,
Sed cumulata Tibi messis AMICE cadit.
Hoc statuit PINDUS pretium virtutibus aequum:
Annuat innumera prosperitate DEUS.

Fauſtæ acclamationis ergo deproper.

IO. MELCHIOR VERDRIËS, D. & PP.O.


Gräfen, Diss., 17.11.-12

ULB Halle
005 356 92X

3







Q. D. B. V. 395
DISSERTATIO IN AUGURALIS
JURIDICA 1712. 4. 20.
DE

PRIVILEGIIS DECIMARUM ECCLESIASTICARUM,

QUAM
SUB MODERAMINE SUMMI NOMOTHETÆ
IN ALMA LUDOVICIANA
EX DECRETO ET AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA
RITE CONSEQUENDI,
IN AUDITORIO SOLENNI
PUBLICÆ EXCELL. ACADEMIÆ PROCRUM
VENTILATIONI SUBMITTIT.
JOH. JEREMIAS SCHENCK.
GIESSEN-HASSUS
Add. XXII. Decemb. A. R. S. clo lc ccxii.

GIESSÆ, Typis VIDUÆ B. JOH. REINH. VULPII, Acad. Typ.

7.